



PRÆFATIO.



I in causas forte inquiras, Lector omni honoris cultu prosequende, cur hæc, quæ de usura agit, materia mihi arriserit, aperiam breviter. Cum sæpenumero & cum aliis hactenus & mecum ipse disputavi, num licita sit usura, nec ne? varia tum affirmanti tum neganti argumenta, pondere suo utrobique prædita, in promtu erant. Adduxi morem apud omnes fere gentes hodie introductum, quod apud Christianos præcipue usura obtineat, quod rebus commutandis communicandisque invicem egregie inserviat, mercaturæ florem & pariat & conservet, & quæ porro commoda inde enascantur. Neque ipsas etiam Leges Naturæ habui adversas, quæ uti æquitati, ita usuris favere omnino videntur. Quibus ut me scrupulis expedirem, ipsum tempus ansam mihi præbuit. Hoc enim monitus, ut iis, quorum beneficio Academicis hucusque Musis vigilare & licuit & etiamnum licet, Vobis videlicet, Illustres Ratisponæ Proceres, quantum profecerim specimine quodam significarem, hancipsum supra dictam quæstionem publicè ventilare atque judicii mei qualiscunque periculum facere in annum induxi. Quocirca lubentissime doctorum quorumque Virorum exosculabor informationem, & si quid à me dictum est, quod iis forte displiceat, dictum omnino non esto,